

inter media elementa, quando in cruce stetit tamquam mediator inter homines et Deum, reconcilians ima summis. Quemadmodum enim gallina expandit alas super pullos, quando milvum videt, et aves aliæ inter pedes gestant pullos suos propter aquilam superne volentem et prædæ inhiantem, ut sic mater, potius quam pulli versetur in discrimine: ita in cruce Christus, qui ab ira Patris metuebat filiis suis, medius inter Deum et homines, cælum inter et terram, expandit alas brachiorum suorum et exceperit in se ictus, ac fulmina, quæ in homines vibraret Deus. Tunc enim quando Deus jam commovebat elementa ad perdendum deicidas quando mundi lumine extincto omnia tenebris involuebantur et terra immugiebat, quasi deoratura impios, Christus pro iis oravit: *Pater dimitte illis.*

Atque ut doceret, totum se munquam Patri reconciliasse, in medio mundi passus est, juxta id Psalm. LXXVII. *Operatus est salutem in medio terræ, hoc est, Jerosolymis, quæ in medio est terræ olim habitabilis; siquidem sita est in finibus Europæ, Asiæ, Africæ. Unde et umbilicus terræ vocatur ab Ezech. XXXVIII.*

VI In medio latronum pendens visus est in monte Calvariæ velut iudex honorum et malorum. A dextris enim habuit latronem bonum, e hunc accepit in paradisum; a sinistris reprobum et hunc reliquit gehennæ, juxta prædictionem suam, Matth. XXIV. *Duo erunt in tecto, unus assumetur, et unus relinquetur.* Sic enim in die iudicii statuet oves a dextris, hœdos a sinistris; ipse in medio existens, æquitatem iudicabit; sine omni personarum respectu, nulli erit vicinior, quod attinet ad justitiam. Passionis tempore sub meridiem cecidit umbra Christi crucifixi super umbram dextri latronis, non item super umbram sinistri; (cruces enim ita positæ erant, ut crucifixorum facies aspicerent occidentem, ut alibi diximus) ut posset dicere latro bonus: *Sub umbra manus suæ protegit me:* sic in die iudicii sub umbra Christi protegentur boni, reprobi non item; sed æstuantem dicent montibus: *Cadite super nos, etc.,* quia hoc exigit justitia. Narravit etiam mihi Romæ doctissimus vir P. Joannes Baptista Villalpandus, et in sua Jerosolymæ delineatione (quam accuratissime elaboravit, ut videre est in bibliotheca collegii Romani) ostendit, tempore passionis Domini, rupem montis Calvariæ ita fuisse terræ motu diffissam, ut crux Christi et latronis poenitentis ex una parte, crux vero impoentis ex alia manserit abrupta: ita in extremo iudicio Christus cum electis suis a reprobis se dividet, eosque tartaro relinquet.

VII. In medio discipulorum post resurrectionem,

ut in hodierno evangelio vel ut rex in medio populi seu Ecclesiæ suæ. Sic enim et postea Joanni, Apoc. I. apparuit in medio candelabrorum, id est, episcoporum seu Ecclesiæ universæ. Sic regem decet habitare in medio civitatis et regni sui; quemadmodum et cor in homine mediam obtinet sedem et quasi regionem ejus, ut inde in omnia membra pari celeritate influere possit. Ergo ut sciremus Christum simili modo esse in Ecclesia, quasi in medio ejus, unde in omnia sua membra per gratiam et auxilia sua mox influere queat, in medio apostolorum suorum, qui candelabra erant Ecclesiæ, apparuit quasi ubique præsto sit ad emungenda lumina, ne fides extinguatur, ne disciplina corruat, etc. nec non ad candelabra amovenda, id est, prælatos deponendos prout ibid. c. II. minatur episcopo Ephesi: *Movebo candelabrum tuum de loco suo.* Porro edictum regis nostri primarium est: *Pax vobis;* atque ut pax inter fideles servaretur, statuit se in eorum medio cum pacem eis præcepit; quasi is qui pacem violat, Christum prius offendat (utpote in medio stantem) quam inimicum suum.

Docentur hic magistratus in medio consistere, ita videlicet æquitatem administrando, ut nihil ex affectu agant, aut personam accipiant. Cum micum in urbe horologium est, decet ut sit in ejus medio, quo ab omnibus possit audiri, non in aliquo angulo; similiter et fons publicus. Ita etiam magistratus omnibus vigilet, et jus dicat ac procuret, non aliquibus tantum.

Vidimus Christum in medio pene undique repperitum, quodque observandum videtur, secundum omnem situm. In medio jacuit, in medio sedit, in medio stetit, in medio discurrit, in medio pependit, quid amplius requirimus?

Ergo exultemus et laudemus Deum, qui habitamus Sion Ecclesiam Christi, inquam, quod in medio nostri dignatus sit habitare: et oremus eum ut in medio quoque cordis nostri velut rex in regno dignetur sedem suam ponere, tandemque nos in electorum suorum medio statuere.

## CONCIO III.

CUR CHRISTUS RETINUIT QUINQUE VULNERUM  
CICATRICES.

I. Ad sui corporis gloriam. — II. Ad confirmandam fidem nostram. — III. Ut haberet nostri memoriale. — IV. Ut admoneret nos amoris sui. — V. Ut ea in diem iudicii servaret. — VI. Ad beatorum gaudium.

THEMA.

*Refer digitum tuum huc, et vide manus meas.*  
Joann. XX.

Ex hodierno evangelio manifestum est Christum

tum retinuisse vestigia quinque vulnerum, quandoquidem in ea jussit hominem mittere manum. Sed hoc ipsum tamen valde est admirabile. Quid enim corpori glorioso cum vulnerum cicatricibus et foraminibus? Deinde id ipsum mirantur angeli, Zach. XIII. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Qua in re imprimis nullatenus audimus Porphyrium, apud Aug. ep. XLIX. hinc colligentem, non fore post resurrectionem statum beatum; siquidem hæ cicatrice nec dolorem, nec ignominiam Christo afferbant. Nec audimus gentiles apud Bedam l. VI. in Lucam, arguentes inde quasi resurrectionem fieri nequeat, eo quod Christus vulnera sua non obliterarit. Hi enim non advertunt, quod qui resurgere potuit, et corpus vivificare potuerit etiam totum quoad omnia restituere si voluisset. Alia igitur causæ sunt, cur Christus voluerit resurgere, retentis vulnerum cicatricibus. Quinque illæ afferuntur a D. Thoma, III. p. q. LIV. art. IV. quæ hic excutiemus.

I. Retinuit eas tamquam victoriæ trophæa a sui corporis gloriam promeritam. Ita Ambrosius super Luc. ult. et Bern. serm. III. de resurrectione. « Intraivit, ait, Dominus ad discipulos ostendens manus et latus, sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina monstrari. » Rationem affert. v. Beda super Luc. c. XXIV. cum ait: « Si aliquis fortissimus miles jubente rege suo pro totius gentis salute singulari certamine desudans, multis quidem vulneribus exceptis, hostem tamen interficiat, et victoriam suæ genti reportet, interrogatusque a medico, velint ita curari ut nec vestigia vulnerum ulla desideant, an magis ita ut cicatrices quidem remaneant, deformitas tamen prosus omnis absit: respondeat se potius ita velle sanari ut perpetua secum tanti circumferat signa triumphi: sic Dominus ob signum perpetuum victoriæ vulnerum cicatrices cælo inferre maluit quam abolere. » Unde Franciscus Petrarca, dial. de vuln. LXXVII. ait: « Si causa vulnerum pulchra est, ea non cicatrices aut vulnera, sed virtutis dicenda esse vestigia, et præclaris affixa frontibus signa meritum. » Sic et Curtius, lib. IV. *Vulnera, ait, quæ quisque (in prælio) excipit, indicia virtutis sunt.* Hinc est, quod S. Aug. l. XXII. de civit. c. XX. putat resurrecturos etiam martyres cum vulnerum suorum cicatricibus, easque perpetuo retenturos, ad majorem eorumdem gloriam. Quis ignorat vestes sericas cum scite discinduntur, et varii coloris fimbriis, vel etiam gemmis et margaritis distinguuntur, splendorem inde majorem sumere, quam si prorsus integræ perseverent? Ornant igitur splendidissimum Christi corpus hæ vulnerum margarite: ut non immerite dixerit sponsa Cant. V. *Manus illius tornati-*

*es, aureæ, plenæ hyacinthis.* Hyacinthus mirabilis est naturæ, ut refert Bartol. Angl. de propriet. l. XVI. c. LIV. quia cælo obscuro obscurus, sereno serenus est, et lætitiæ affert. Ita etiam vulnera Christi, quæ in passione, ubi cælum obscuratum, dolorem et coram hominibus confusionem afferrebant: eadem nunc cælo sereno, post resurrectionem scilicet, serenitatem præ se ferunt, et lætitiæ Christo ac decorem afferunt. Ita nimirum novit Christus contumelias et vulnera in honorem et gemmas commutare. De M. Catone, qui sibi Uticæ necem conscivit, ait Valerius Max. l. III. c. II. e fortissimis ejus vulneribus plus gloriæ fluxisse quam sanguinis. Verius id de Christo, qui non ex desperatione aut inani gloria, sed nostri amore, voluntaria obedientia, nulla coactione gloriose occubuit, suaque morte vitam omnibus tribuit hominibus. Præclarum quidem fuit Horatii Coclitis dictum (scribit Franciscus Petrarca, de vuln. c. LXXVII.) quo cum ei adversarius quispiam claudi pedis vitium, quod in tuendo ponte sublicio, usque dum a tergo per suos destrueretur, deinde in Tiberim desiliendo contraxisset, objiceret, respondit adversario: *Minime claudico, sed dii immortales voluere, ut per singulos passus meminerim triumphi mei.* At quanto rectius Christus vulnerum suorum cicatrices manibus perpetuo circumfert, perpetuo aspicit, qui non unam gentem, nec ad breve tempus ab hoste est tutatus sed omnes et in perpetuum; nec in flumen solummodo salutis suæ causa desiliit, sed in crucem usque nostræ salutis gratia ascendit. Merito igitur victoriæ suæ indicia semper in manibus gestat et contemplatur. Sed et nos Christiani ea tamquam salutis nostræ trophæa memori mente intueri, et omni veneratione deosculari debemus. Nam si illum quoque ut inquit Petrarca ubi supra, Cæsium Scævam miræ virum fortitudinis, sed justitiæ nullius, mille lacerum perfossumque vulneribus, hostes quoque venerati, et propter unius virtutis admirationem, vulnera ipsa deosculantes armorum fragmina et sagittas repenti cadavere eductas, deorum templis seu sacrum aliquid affigebant, quid de Christi Domini vulneribus sentiendum? Qua reverentia nobis deosculanda venerandaque erunt? Sane Constantinus M. imperator in Conc. Nicæno, episcoporum oculos in persecutione effossos, pie osculadatur, pro certo persuasus, ut ait Theodoretus, l. I. c. XI. osculo benedictionem se inde haustum. Si rivulos istos ex vulneribus Christi promanantes, adeo veneratur imperator, quid nos fontibus ipsis debemus?

II. Ad confirmandam fidem in nobis duplicem. Primo: *Ut agnoscat in Christo proprietatem divinam, humanæque naturæ individua permanere.* Ut ait S.

Leo, ser. I. de resurr. Et hoc contra Entychetem, qui censuit, humanitatem Christi post resurrectionem conversam esse in divinitatem, ejusque attributa omnia sortitam. Unde sequeretur, humanitatem Christi cessasse, etc. Jam vero in eo quod retinuit Christus cicatrices, ostendit se revera etiam retinuisse humanitatem in sua natura: nec conversam eam esse in divinitatem, siquidem cicatrices vulnerum naturæ divinæ non competunt.

Secundo, ut essent argumentum Dominicæ resurrectionis, quo nimirum illum ipsum, et non alium resurrexisse intelligeremus. Ita S. Chrys. ho. LXXXVI. in Joan. S. Leo, Damasc. Chrysol. Idem docet S. Aug. in Ps. LXXIV. ad illa verba: *Ego confirmavi columnas ejus.* «Columnas inquit Aug. dicit psalmographus apostolos. Et quid essent illæ columnæ, nisi ab eo firmarentur? Columnæ, quæ in passione nutaverunt, in resurrectione firmatæ sunt. Terruerunt eos vulnera, firmaverunt cicatrices, etc.» Itaque Thomam habemus quasi legatum nostrum, exploratorem terræ sanctæ quoad palpationem: reliquos apostolos, quoad visum et auditum. Unde Greg. hom. XXVI. super evangelia dicit: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit, quia dum ille ad fidem palpando reducit, nostra mens omni dubitatione postposita, in fide solidatur.* Fundatur autem in resurrectione Christi fides resurrectionis nostræ. Et unde tot, tamque bellicosi martyres ad sanguinis effusionem tam alacriter decertantes, nisi ex vulnerum illorum et resurrectionis Christi certificatione? Sane ut elephantem viso sanguine aut sanguinis specie aliqua, uti mori vel uvæ rubræ, (quemadmodum legitur I. Macch. VI.) accenduntur in prælium; ita ss. martyres ostensis Christi vulneribus. Unde S. Bern. serm. LXI. in Cant. ait: *Vult benignus dux decori militis vultum, et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiozem. Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur.* Et mirum sane est, quod vulneribus, et vulnera curet Christus, et animos infirmis addat. Nutabant corda discipulorum, et infirmi eramus ad patiendum. Utrique malo medebantur Christi vulnera. Nimirum uti scorpione enectus medetur morsui scorpionis, aranea aranæ, mus ferro apertus muris morsui: ita et Christi vulnera, quæ necem ipsi attulerunt et dolorem, vitam nobis et robur contulerunt. Refert Julius Solinus, ad capiendos elephantem fieri foveam, ut in eam incidant, et tunc accedere venatorem unum, qui hostiliter eum aggrediatur, et aliquantum vulneret; subvenire vero alterum, qui hunc depellat, et membra sua sanguine tingat, quasi propter ipsum a venatore vulneratus

esset. Hoc viso mansuere elephantem et liberatori velut mancipium quaquaversum obedire. Nos in fovea cecideramus, Christus inde nos eripuit, et ita quidem, ut dum cædentem ac vulnerantem nos dæmonem expugnare, ipse pro nobis vulneraretur. Cum igitur nunc aspicimus ejus vulnera, annon eum velut Dominum nostrum maxime amabimus, et in omnibus sequemur? Post insignem victoriam quam obtinuerat populus Israel Gedeonis opera de Madianitis, adeo ei devinctus erat, ut diceret: *Dominare nostri tu et filius tuus, et filius filii tui*, Jud. VIII. Et ita in principem suum elegerunt illum, qui ne unum quidem vulnus in conflictu illo acceperat; quanto æquiori jure hoc dicimus et facimus Christo, qui pro liberatione nostra tam graviter vulneratus est?

III. Ut haberet nostri perpetuum memoriale: ac primo, ut meminisset, ea cælestis Patri commonstrare, iramque ejus in nos, justissimam licet, exarmare, juxta id I. Joann. II. *Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Quod facit representando Patri naturam humanam cicatricibus signatam, ut ait loco cit. S. Thomas. Et S. Cyr. serm. de baptism. Hebr. *Ut appareant, inquit, vultui Dei pro nobis, et ut semper servatæ in corpore plagæ salutis humanæ exigant pretium.* Ut enim Servator noster eujuscumque ævi homines morte sua redemit; ita non desistit omni tempore interpellare pro nobis, meritum redemptionis nostræ Patri representando, ut pretio suo compensetur, quia enim sacerdos est in æternum, Deo sacrificium redemptionis nostræ perpetuo offert Patri suo pro nobis. Et sicut ipse de iride dixit: *Erit arcus meus in nubibus, et videbo illum, et recordabor fœderis sempiterni, quod pactum est inter Deum et omnem animam viventem*, Gen. IX. sic aspiciens vulnera in carne Filii sui, recordabitur etiam fœderis inter ipsum et nos pacti, meritis Christi mediantibus. Multum valet ad impetrandum quidpiam exhibitis vulnerum acceptorum meritis: sic namque Marcus Antonius pro Aquileio perorans (ut scribit Cic. orat. in Verrem) cum senatui Aquileii vestem ostendens, singula vulnera pro republica suscepta numeraret, facile iudicibus persuasit, ut pro Aquileio pronuntiarent. Denique S. Chrysost. serm. in Juven. et Maxim. ait: *Sicut milites vulnera in præliis sibi influcta, regi monstrantes fidenter loquuntur: ita et illi (martyres) manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæque voluerint, apud Regem cælorum impetrare possunt.* Si hæc omnia, inquam, homines possunt, quid non poterit apud Deum Filium Dei, membra sua undique saucia, ei si commonstret? Habemus igitur testamenti novi mediatorem Jesum, ut ait S. Paulus ad

Hebr. XII. *et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Quid ita? Sanguis Abel clamabat ad Deum: Vindicta, vindicta: sanguis autem Christi: Misericordia, misericordia. Atque ad hæc faciunt quinque vulnerum foramina, veluti quinque patula ora semper ad Deum clamantia. Secundo, ut perpetuam nostri memoriam maximamque curam et sollicitudinem gerere se demonstraret; et ne aliquando de ejus in nos amore et sollicitudine dubitarem. Quid enim sunt, nisi cælaturæ quædam manibus ejus inscriptæ? Qui rei alicujus vult meminisse, anulum in digito ponit; id fecisse Christum dico, dum stigmata retinuit, ne nostri obliturum aliquando arbitremur. Unde Isa. XLIX. ait: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar? Ecce in manibus meis descripsi te, sanguine videlicet velut atramento, clavo velut calamo. Ac ne putemus facile delatum iri scripturam illam, aut Christum poenituisse passionis suæ, Zach. III. cælatus dicitur pretiosus lapis, Christus, vulneribus suis, ut intellexit S. Hier. in comment. super Zach. ut sic abjici non possit sculptura ejus, et fructus passionis aut memoria redemptorum aliquando extingui. Olim certe poenituit Deum quod hominem fecisset, Gen. VI. at vero de redemptione nostra et passione sua nunquam poenituit, nec poenitebit; neque etiam oblivionem suorum unquam posthac deponet. Strenuus quidam miles ad Julium Cæsarem delatus, quasi prodicionem in eum moliretur, re intellecta ad Cæsarem venit, et aperto pectore cicatrices vulnerum in bello pro ipsius causa susceptorum ostendit, atque ita Cæsari plenam fidem de constanti sua fidelitate fecit, (refert Osor. tom. III. in F. VI. S. Thomæ.) Idem fecisse Marium coram Romano senatu ob similem suspicionem, refert Salmeron, tom. XI. tract. XVI. Ostendit ergo et nobis Christus vulnera sua, ut ne de ejus erga nos constanti amore unquam dubitemus.*

IV. Ut commonefaceret nos amoris exhibitum, et vicissim debiti nostri. Quid enim aliud sibi volunt verba illa: *Infer digitum tuum huc, etc.* quam quod Paulus I. Cor. VI. et Petrus, ep. I. c. I. dixit: *Redemptos nos esse non corruptibilibus, auro vel argento, sed pretioso Agni sanguine.* Hinc enim Thomas ob amorem illum sibi in vulnere demonstratum, quasi extra se raptus, ac veluti in camino ignis manum ustulasset, exclamat: *Dominus meus et Deus meus. Patet arcum cordis,* ait S. Bern. serm. LXI. in Cant. *per foramina corporis.* Julius Cæsar volens Romano senatui, in quo erat, monstrare labores suos pro republica Romana susceptos, adeoque fidem suam, aperuit thoracem, et monstravit ei cicatrices vulnerum pro Romanis susceptorum.

Commonstrat etiam nobis hodie suas Christus: *Videte, inquit, manus meas et pedes meos.* Videte inquam, quantum pro vobis fecerim! Postquam enim fodi torcular hoc in vinea mea, quid ultra ei debui facere, et non feci?

Videte deinde quis hæc foramina fecerit. Judæi dicetis. Verum est; sed et nos fecimus Christiani, qui toties delinquimus, et sine illorum vulnerum pretio satisfacere nequaquam possumus. Peccata nostra clavi fuerunt, membra Christi penetrantes, voluntas nostra malleus fuit eos intrudens. Nisi peccassemus aut peccaturi essemus, Christus passus non fuisset. Agnosce igitur in Christo vulnera tua, scelera tua. Nicodromus quondam Crati impegit in os pugnum, eumque in fronte vulneravit. At Crates fronti imposuit tabellam, cui inscripsit: *Nicodromus faciebat.* Itaque cum livore suo obambulans, traduxit citharædum, Laert. I. VI. c. I. Non dispari ratione, quo agnoscas te, quicumque es, vulnereum Christi auctorem, ecce tibi palam retinuit, et circumtulit gestatque etiamnum in cælo, et monstrabit in die judicii tabellas illas, ut ita loquar, vulnerum suorum. Quod si enim quæramus e Christo cum Zach. c. XIII. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* dicet: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Tales in primis Judæi, qui in lege veteri Deum diligebant, tales nos Christiani, qui saltem aliquando Deum diligebamus, postea vero omnes peccatis nostris sauciavimus. Denique videte, quid his plagis debeamus. Honorem utique debemus, non execrationem aut blasphemiam. Si enim ipsum Dominum interrogemus: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* respondebit mansuetissime: *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.* Non execratur vulnereum horum auctores. Quis ergo vulnera Christi execrari audeat omni veneratione colenda?

V. Ut ea ad diem judicii conspicienda servaret, justis ad solatium, malis ad terrorem: juxta id Apoc. I. *Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt.* «Inimicis (inquit D. August. in lib. II. de symbolo, c. VIII.) vulnera quæ infixistis, agnoscite latus, quod pupugistis, quoniam per vos ut propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.» Alexander M. dicere solebat: *Ut maxime sanetur vulnus quod illatum est, manet tamen cicatrix,* id est, memoria injuriæ, etsi dolor abscesserit, apud Eras. I. VIII. apophth. Ita sane tunc, etsi Christus jam olim præter est, et dolorem nullum sentiet amplius; manebit tamen memoria scelerum contra impenitentes, nec oblitterabitur, nisi pro meritis puniantur. Quantum ibi confundentur et cruciabuntur, qui sacratissima hæc vulnera blasphemio suo ore

tam facile prosciderunt? Item, qui hos salutis fontes contempserunt et neglexerunt? Existimo etiam vulnera illa forte Christo non solum ante, sed etiam post iudicium, quasi symbola monitoria ad rationem faciendam de hostibus, et ne miseretur damnatorum in æternum. Justinianus secundus imperator post recuperatum imperium, quo eum nasoque simul Leontius Patrius privaverat, acerbissime injuriam ultus est. Nam quoties nasum emungeret, hostium suorum unum capite mulctabat, quorum in vinculis magnum numerum habebat, Bapt. Fulg. l. XI. sic ut opinor, toties novas flammam concipiet infernus, quoties Christus intuebitur sua vulnera. Sed clavorum signa bonis salutaria sunt usque ad diem iudicii, ait Cæsarius Arelaten. hom. XXIV. Corpus Christi templum eis est, a Judæis quidem dirutum, sed a Christo reedificatum: ejus quinque vulnera, quinque templi portæ sunt. Hæc piscina probatica, cujus quinque porticus. Hæc civitates refugii, de quibus I. Paral. VI. Hæc foramina petreæ, in quibus protegatur columba ab aquila, severo illo iudice, Cant. II. Hæc denique fossa humus, de qua Isaias, c. II. ait: *Ingredere in petram, et abscondere in fossa humo a facie timoris Domini. Hic presidium reperiunt et solatium, quotquot eo confugiunt. Testatur id S. Bern. serm. LXI. in Cant. qui ait: « Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea foraverunt, et per has rimas liceat mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. » Testatur S. Hieron. qui quoties a carne tentaretur, remedium se in iis invenisse scribit, imo angelicam puritatem, apud Osor. tom. III. in F. S. Thomæ.*

Ad extremum, servata, ait Hugo card. in Joannem, ut beati ea videntes, indesinenter ei gratias agant. Ea enim intuentes æternum carent in Apoc. V. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem in sæcula sæculorum. Amen.*

## CONCIO IV.

QUOMODO CREDENDUM.

I. Credendum Deo simpliciter. — II. Prudenter. — III. Firmiter. — IV. Pestive. — V. Explicite. — VI. Vere et complete.

THEMA.

*Beati, qui non viderunt, et crediderunt. Joan. XX.*

Quemadmodum in ædificio nihil magis necessarium, quam ejus fundamentum, utpote quo

deficiente ruit ædificium, interim tamen nihil magis negligitur, quia cum in terra lateat, non examinatur; ita fere contingit in ædificio spiritali vitæ christianæ. Fundamentum ejus fides est, juxta id apostoli ad Hebr. XI. *Fides est sperandum substantia rerum, id est, basis fundamentum, uti vocatur a S. Dionysio de divinis nominibus, c. VII. quo quidem corrumpente, tota justitia hominis christiani corruat, necesse est. Interim vero sicut qui incolunt domos, præsumunt fundamentum earum fixum et stabile esse, unde nihil de eo cogitant, et sæpe decipiuntur; ita plerique Christiani nunquam examinant fidem suam, quia supponunt eam fixam esse ac stabilem, quæ revera tamen sæpenumero defectuosa et ruinosa est. Sane in hodierno evangelio nis' sapientissimus architectus Christus domum S. Thomæ a fundamento reparasset, ea tota corruisset. Ergo quemadmodum unius ædificii ruina, vicini excitantur ad lustranda ædificia sua, ne idem sibi contigat; ita nos exemplo Thomæ edocti, recognoscemus fundamentum domus nostræ, fidem, et audiemus, quomodo sit credendum.*

I. Credendum est simpliciter Deo revelanti, non interrogandum proprium iudicium. Intellecto enim hoc, quod aliquid a Deo sit revelatum, fides adhibenda est, nec sine gravi Dei injuria aliud quæri testimonium potest, quo impellamur ad credendum. Facessat igitur proprium iudicium aut sensus. Quis enim sine injuria eaque gravissima principis vel episcopi assertum subjiciet iudicio alicujus rustici vel scurræ? Est sane visus sensuum nobilissimus ac fidelissimus, eum tamen nihilominus reprobat in materia fidei Christus, cum ait Thomæ: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. Eadem ratio de iudicio proprio et ratione naturali est; magis enim superatur ab objecto fidei, quam oculus noctuæ a radiis solaribus. Itaque qui vult videre quæ sunt fidei; cæcus fiat et talpa. Talpa in tenebris vivit, ad lucem producta moritur, teste Pierio, in hieroglyph. l. XXXIII. Ita etiam nos in tenebris fidei credentes, vivemus; ad lucem si prodire et examinare voluerimus, quæ credenda sunt, morimur. Non est in hoc mundo tempus aut locus ea videndi, quæ credimus, sed in altero. Unde Aug. tr. XXVII. et XL. in Joan. ait: *Fides est credere quod non vides, cujus veritas et merces est videre, quod credidisti. Simus igitur in fidei negotio Barjonæ, id est, filii columbæ, quæ omnia simplici intuetur oculo, quo nomine laudatus est S. Petrus, Beatus es Simon Barjona, etc. Simon, id est, obediens, ob habitum piæ affectionis, qui inclinatur voluntatem ad assentiendum, Barjona ob credendi simplicitatem. Sed et cæteri apos-**

toli in hoc excelluerunt, quod ex eo colligit Theophylactus, quod audientes in ultima cœna fore unum ex ipsis, qui Christum proditurus sit; quasi magis Christo asserenti, quam sibi quisque crederet. interrogarunt semetipsos: *Numquid ego? Numquid ego?* quasi dubitantes de seipsis.

II. Prudenter, ut videlicet discernamus credenda a non credendis. Debet hæc prudentia comes esse simplicatis, juxta illud Domini: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ.* Simplicitas enim sine prudentia stultitia est, non prudentia. Quare primo, non omnia credenda sunt, quæ passim ab his vel illis dicuntur; quia ut ait Seneca, l. de moribus: *Perinde vitium est omnia credere, ac vitium est nihil credere: sed quæ ex iudicio et auctoritate Ecclesiæ, quæ est magistra et columna veritatis, directa a Spiritu sancto, credenda proponuntur. Hoc sensu ait S. Joannes apost. 4. epist. c. IV. *Charissimi, nolite omni spiritui credere. Peccant hic etiam, qui Ecclesiæ cæremonias singulas habent pro fidei articulis, quasi proinde fides mutetur, cum cæremoniæ mutantur.**

Secundo, non omnia a fide excludenda, quæ non continentur in ss. litteris; sed credendum etiam est ss. traditionibus in Ecclesia receptis. Quod primo patet ex apostolo II. Thes. II. dicente: *Fratres, state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Ex quo habemus, non omnia quæ credenda sunt, esse ss. litteris mandata. Patet ex hodierno evangelio, ubi dicitur: *Multa autem et alia signa fecit Christus, etc. quæ non sunt scripta in libro hoc.* Secundo, quia hoc ipsum ex traditione tantum credere possunt hæretici nihil esse credendum, nisi quod est scriptum. Ubi enim hoc scriptum est? Ad hæc unde constat aliquid esse revelatum a Deo? Ex ss. litteris inquires. Recte; sed unde nosti illas litteras esse Scripturam sanctam? Nonne in te solum, quia sic per manus veterum traditum est ad posteros? Nam si dixeris Scripturam sibi ipsi perhibere testimonium, rideberis; quia idipsum de se perhibet Turcius Alcoranus. Si dicas id testari aliam scripturam; quæram ego idem de hac alia scriptura, et ita in infinitum dabitur progressus. Neque dicas id per se evidens esse, quia experientia reclamatur, cum tot sint hodie concertationes, quinam libri sint canonici. Quære ex puero vel peregrino, quinam libri tales sint, nihil respondere poterit. Superest igitur, ut unius vel plurium, qui a Spiritu sancto id didicerint, auctoritate hoc intelligatur: isti sunt Ecclesia catholica, seu prælatorum cœtus, a quibus illa regitur, et recta fuit retroactis sæculis: quoniam illi a Deo facta est promissio infallibilitatis.

Taceo, quod illa hæreticorum doctrina dat an-

sam innumeris hæresibus, siquidem plurima sunt, quæ non sunt scripta in ss. litteris. Atque hinc prodiit Anabaptistarum hæresis. (quia nullibi scriptum est baptizandos esse parvulos) aliæque plures.

Neque etiam licet excludere unum alterumve fidei articulum, quia eadem divina veritas revelavit omnes, et jubet credi omnes. Unde omnium reus fit, qui uni fidem abnegat; quia qui præcepit unum, præcepit et alterum.

III. Firmiter, primo, sine trepidatione aut hesitatione. Quia non exigua Deo infertur injuria, cum ejus veritas vel potentia in dubium vel suspicionem revocatur. Hinc Moyses morte punitus fuit, quod de promissa a Deo aqua ex petra, dubitanter sit locutus: *Num de petra hac poterimus vobis aquam elicere, Num. XX. et Marci IX. qui dixit Christo: Domine si quid potes, adjuva nos; non prius fuit auditus, quam fidem suam firmaret. Quare peccat etiam contra fidem et est hæreticus, qui in assensu fidei voluntarie dubitat. Ne in hanc labem incidamus, cogitemus primo, Deum, ut ait S. Joan. ep. I. c. III. *majorem esse corde nostro, id est, plura scire, videre et facere posse, quam nos humana ratione assequi possimus. Sufficiat nobis mysteria illa non esse contra rationem, uti vere non sunt, sed ostendi possunt, esse credibilia et possibilis. Secundo, salubriter a Deo fuisse nobis abscondita fidei mysteria, ut haberemus occasionem singularem valde eum colendi et optime merendi. Amici veri se produnt maxime in adversis, e bestia generosæ tunc exerunt vires suas. cum advertunt se committi cum hostibus violentissimis. Cujus rei historiam congruam eamque recentem recenset P. Lud. Richeomus, in valedict. animæ, coll. XII. de equa generosa annis confecta, quæ commissa cum leone in celebri Hispaniarum urbe Saragoza, accedentem ad se leonem primo statim congressu, ad vocem compellantis se heri et confirmantis ita salutavit, valido ictu, ut mox impacta in frontem calce attonitus leo confestim angulum peteret, et hosti tam potenti saltem ad tempus cederet. Igitur et nos in difficillimis fidei articulis heroes nos exhibeamus. Rugiant circa nos licet hæretici, nihil metuamus. Confirmat nos in evangelio Dominus: *Beati qui non viderunt, et crediderunt.***

Secundo, ita ut malimus mori potius, quam fidem abnegare. Scimus enim Christum negantibus se comminatum esse, negaturum se eos in cœlo, Matth. X. Scimus etiam Petrum, ob negatum Christum, flevisse amare, Luc. XXII. Scimus denique olim in Ecclesiæ accerrime disputatum, utrum qui sic deliquerant, recipendi essent ad Ecclesiam, quamquam vicit sententia affirmans.